

(a) *Archivum Statuum N. 1086.* (b) *Ibi N. 1441.* (c) *Ibi N. 1522.*
 (d) *Ibi N. 1886. & 1887.* (e) *Ibi N. 1934. & 1953.* (f) *Ibi N. 2522.*
 & 2598. (g) *Ibi N. 2695.* (h) *Ibi N. 2809.* (i) *Ibi N. 3130.* (k)
Ibi N. 3280.

CAPUT XIV.

BARONES STOCKHARNER.

Barones Stockharnier, qui hodiè in Franconiâ sedes suas & domicilium collocarunt de Austriacis Equestris Ordinis stirpibus orti sunt, non tamen confundendi cum alia de Stockharn jam extinctâ familiâ, quæ testantibus insignibus & Archivi Austriaci monumentis disjunctissima maximèque diversa ab hac nostra fuit. Albertus Austriæ Dux bona quædam Pincernæ suo Johanni Stockharnier Anno 1385. in feudum dedit. (a) Ernestus, Ortolphus & Henricus, Fratres dicti Stockharnier Ecclesiam in Buchberg Anno 1390. munificè dotarunt, adhibueruntque testem in literis foundationis Agnatum Georgium Stockharnier. (b) Ernestus Stockharnier emit bona quædam in Leuthmansdorff Anno 1400. (c) Ortolphus Stockharnier à Johanne Burggravio Magdeburgico Comite in Hardegg (qui titulo usus est Hannß von Gottes Gnaden / des heiligen Römischen Reichs Burggraff zu Magdeburg und Graff zu Hardegg / & cujus familia sub finem seculi XV. in Michaële Burggravio Provinciali Austriæ Mareschallo extincta est, postquam ultra quadringentos Annos hisce in terris egregiè floruit, opumq; cumulo præ aliis conspicua fuit) An. 1404. testis citatur. (d) Martinus Ballbacher & Wolffhardus ab Innbruck litem inter eundem Ortolphum Stockharnier & Nicolaum Schauerbeck / ortam Anno sequenti 1405. deciderunt. (e) Georgius Stockharnier curam bonorum suorum Anno 1408. Johanni à Reitt testamento commisit. (f) Idem Georgius in alio documento de Anno 1415. celebratur. (g) Johanues Stockharnier Agnato suo Antonio Anno 1417. bona sua omnia mortis causa donavit (h) Antonius ille à Casparo Stahrenbergio tertiam partem prædii Obernblanck in feudum accepit Anno 1418. (i) Idem in patrimonio suo habuit Castrum Buchberg vineasque aliquas colono suo laborandas præsentem Agnato Johanne Stockharnier Anno eodem 1418. locavit. (k) Georgius Stockharnier ab Affine suo Ulrico Kadauer Anno 1422. ad testimonium dicendum vocatus fuit. (l) Johannes ejusdem gentis, ceu dictum est, propago, Castellanus (Pfleger) in Garsch in documento aliquo de Anno 1429. dicitur. (m) Sigismundus Stockharnier Rapotoni de Rosenharth vendidit domum suam Viennæ inter Pol-

H
hei-